



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Disputatio I. De diuinæ scientiæ existentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

CONTROVERSIA II. DE SCIENTIA DEI.

DIVINAM scientiæ infinitudinem exiguo nostro discursu percurrere, profunditatem metiri, modum penitus explicare, non solum factum est impossibile, sed prorsus etiam tentatum ridiculum, & temerarium. Multo enim amentius est, quam velle *calum* (vt aiunt) *palmis mensurare*. Idcirco Augustinus in Psal. 49. de Diuina scientia acturus id primum fatetur, quod potiori iure rudiores longè eundem ingressuri tractatum debemus profiteri. *Ne forte* (Augustini verbis loquor) *hoc à me expectetis, vt explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit, vt homo; non sic cognoscit, vt Angelus. Quomodo cognoscit, dicere non audeo: quoniam, & dicere non possum.* Cæterum, cum diuina à nobis, nonnisi humano modo, atque increata, nonnisi ad creaturarum vnam, & exemplar tractari pro hoc statu queant: ea omnia de Diuina scientia (quæ substantia est, æquè, atque ipsa, cui identificatur, Deitas, improducta) discutimus, quæ de nostris cognitionibus (physicis nempe, creatisque accidentibus) solent disputari.

Et quidem controuersia huius, sicut & aliarum subiectum statuendum erit: ne de re chimærica tam longè, atque exactè disceptare videamur. Quare de scientiæ Diuinæ existentia texetur disputatio primum. Secundo: de ijs, quæ scientiam nostram præcedunt; eademne præcedant diuinam? Tertio: ad quam obiecta secundum se ipsa cognoscenda Diuina scientia extendatur? Et primo quidem de Deo ipso, deinde de alijs ab ipso. Quarto de statibus, in quibus creata cognoscitur. Quinto: quidnam Deo sit ratio, medium, siue materiale, siue formale determinatum, aut verificatum, seu motuum vniuersa, & singula cognoscendi? Sexto: de Diuina scientiæ partitione, quæ ex præcedentium examine perspicue, ac sine æquiuocatione, & questionibus de nomine, quoad rem ipsam apparebit. Septimo: de diuinæ scientiæ metaphysicis affectionibus. Quibus nihil erit de Diuina scientia disputatione dignum, quod in controuersia hac nostra disputationem desideret.

DISPUTATIO PRIMA.

De Diuina scientiæ existentia.

QUÆSTIO I.
An Dei scientiam existere satis omnibus ab autoritate monstratur.

ORA hæc de Diuina scientiæ existentia circa questionem, an sit? versatur: omnia questionem quid sit. De hac enim satis controuersia. 1. d. q. cert. num. statumus etiam formaliter, & metaphysicè essentia diuinæ existentia attributa Dei omnia existere, atque entia realia adiecta solum metaphysica esse: quare eadem de scientia Dei (quam d. 2. q. 2. cer. 2. & 3. ab essentia metaphysica Dei relegauimus) sententia erit. Tres igitur circa diuinæ scientiæ existentiam instituimus questiones. Primam de eius existentia ab autoritate. Secundam an eius existentia à ratione monstratur? Tertiam an è Dei immutabilitate, seu spiritualitate ostendatur.

QVÆSTIO I.

An Dei scientiam existere satis omnibus ab autoritate monstratur.

VM omnibus, nec solum cum Christianis, siue Catholicis, siue Hæreticis, Iudeisque, qui veteris Testamentum admittunt, sed & cum paganis

agam: sicuti & in alijs fidei nostræ veritatibus: vt omnes aberrantes à vero conuinci possint.

CERTAMEN I.

Ex omnium gentium autoritate scientiæ Diuinæ existentia monstratur.

1. **D**Eum omniscium, nec sciam solummodo, esse gentium, nationumque omnium consensus semper fuit. Et si enim Deitatem pluribus plures err. c. detulerint; aut inscium Deum esse non posse omnes, quantum stolidi, & barbari, cognouerunt. Vt clarescit citius Dei substantiam & unitatem, quam eius scientiam ignorari ab hominibus posse; cum, ijs etiam, quibus circa Dei substantiam, & essentiam, ac proinde unitatem, & singularitatem, crassus adeo error obrepserat, eius tamen scientiæ ignoratio minime potuerit obrepere. Hoc autem inde primis constat, quod ad Deos inos nemo fuerit, qui non preces funderet, vt bona sibi obuenirent, atque à se mala arcerentur. Neque vllus tam amens, ac velans esse potuit, qui cum, à quo perire, cognosceque non valeat de suis commodis consequendis, malique vitandis oret. Accedunt sacrificia, quæ gentes omnes dijs suis ita instituerunt lege; atque obtulerunt: quæ siue, vt eos beneficos, siue suorum criminum non vindices haberent, peragebant, vtique eos, & obsequiorum, & criminum gnaros profitebantur: tanta nimirum constantia, vt cum lapides, & truncos in Deos sibi erigebant, tamen horum confcios iudicabant: quo super à Regio ridetur

Y A E G

vate psal. 113. *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient &c.*

2. Quid? quod ipsum nomen, quo à Græcis omnibus Deus *Θεός* nominabatur, ita clare eius scientiam in- clamat, ut eos, qui aliter sentiant, non absurditatis modo, verum, & surdicitatis etiam incuset, ut enim eius vocis proprietatem explicans aiebat Dionis. 12. de diu. nom. circa med. est *omnia contemplans providentia*. Et Clemens Alex. 1. Strom. sine ita dictum Deum ex *positione, & ordine, & administratione*, seu providentia, quæ quidem sine scientia, imo omniscientia (si rerum omnium, uti in Deo, sit) esse non potest. Pulchre hanc nominis eius etymologiam trahit Damasc. 1. lid. cap. 12. med. *Theos à theaste, id est intuendo omnia. Nam nihil eum latere potest, imo omnium inspector est*. Ex quo sententiam mutatur S. Thom. aureis his verbis totum hoc argumentum nostrum expressit. 1. contr. g. cap. 44. fine. *Huius autem fidei veritas tantum apud homines inualuit, ut ab intelligendo nomen Dei imponerent. Nam Theos, quod secundum graecos Deum significat dicitur à theaste, quod est considerare, vel videre*. Ad quam rem plura Athanas. de definitionibus colum. 2. §. *quid est Deus?* & dial. 1. contra Macedon. fere init. Nyssen. lib. *quod non tres, dñi ad Ablabium circa med.*

3. Eo vero vique exploratum omnibus fuit Deum scientem, sapientemque esse, ut, neque, pro, rudioribus adhuc, doctrina paranda, ex instituto à priscis Philosophis fuerit disputatum: quod neminem quantumvis rusticum de eo dubitantem viderent. Quare id potius sup- pofuerunt, quam disputarunt: cum Deum præfatio no- mine *Theos* compellarent: passimque ex ista omnibus sententia omniscium, rerum omnium gubernatorem, bene, maleque gestorum iudicem, ac vindicem assererent. Quæ tam multis locis docent, ut hic ea recensere proli- xum valde sit: maxime, cum controuersia de providentia sint postmodum recitanda. Idcirco Platone, & Stoicorum Principum frequentibus testimoniis omisis, vnum, vel alterum Aristotelis locum adnotare hic placuit. Etenim 10. ethic. c. 8. & 12. met. c. 9. à textu 36. hanc verita- tem docuit. *Sine nil, inquit, intelligat, sed ita se habeat, ut dormiens, quid præcellens erit?* quibus & scientiæ Dei demonstratio, q. 2. edisserenda continetur.

4. Et vero ex his, qui Deum agnouerunt, nemo, ut dixi, fuit, qui Deum scium negauit: licet aliqui eum omniscium esse, nollent potius, quam corde difficerentur. Licet enim perdit illi, quorum meminit regius vates Psal. 93. suorum criminum in Deo ignorantem optantes, ut supplicium vitarent, scientiam Deo, nec tentant quidem, ne- gare: ita enim eos vicissim bono se, ac libero animo pro admisis criminibus esse iubentes inducit Saltes. *Et dixe- runt, non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob*. Eisdemque, vel similes alios Psal. 72. *Et dixerunt: quomodo scit Deus? esset scientia in excelsis*: suorum, sci- licet, operum. Cum viderent enim se moribus perditis- simos bonis omnibus affluere; contra vero iustos, ac pios homines egere, atque ærumnis mille confictari: nihil de hominum meritis Deum, qui ita res sæculi huius distri- buit, & gnoscere iudicant. Verisque vero ita respondet vates, ut Dei scientiam, & providentiam demonstret, ut ex ipso nos etiam q. 2. demonstrabimus. Itaque Dei scien- tiam absolute nullas negat: licet aliqui eius omniscien- tiam negarint.

CERTAMEN II.

Diuina scientiæ existentia catholica de fide veritas est.

1. **P** Robatur conclusio primo ex 14. Esther. *Domine, qui habes omnium scientiam*. Secundo ex Iob. 21. *Nam quid Deum docebit quisquam scientiam?* Tertio ex Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. Quarto ex Psal. 93. ubi præfatum, impiorum errorem confutans

ait. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* In quibus non vna, sed multiplex scientia Dei demonstratio continetur, ut q. 2. videbimus. Quinto ex 23. Eccles. *Oculi Domini lucido- res sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi*. Sexto ex Eccles. 42. *Cognouit enim Dominus omnem scientiam*. Septimo ex 2. ad Rom. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*. Octauo ex 2. ad Coloss. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*. Sexcentaque alia his similia passim in scriptura occurrunt. Item illa omnia, quibus Deus, eiusque oculi, aut aures intentæ rebus, precibusque nostris dicuntur, aut à Prophetis desiderantur. Illa etiam, quibus ad Prophetas, & per Prophetas locutus, quibus abscondita, & profunda Dei, cordisque humani scrutari, in- trueri, ac penetrare enuntiat. Nihil enim horum abique scientia præstare Deus poterat.

2. Opponi possunt plura Patrum testimonia negan- tium Deo intelligentiam, sapientiam, & similia. Verum eis locis solum contendunt non esse in Deo sapientiam, & scientiam nostræ creatæ omnino similem, quæque & acci- dens physicum, & discursiuum, causatæque vere, tum à po- tentia, & obiecto, tum à præmissis. At Deo scientiam ab his imperfectionibus liberam, quæque idem reipia cum Deitate, Deique substantia sit, quam catholicæ ex fide fa- temur, nusquam Patres negant. Ex qua doctrina, & ve- ritate Catholica occurrunt argumentis, quæ contra hanc conclusionem obicit sibi S. Thom. 1. p. q. 13. art. 1. quod scilicet scientia conclusionum, ac promissæ discursus sit, si propria significatione vultur. Secundo: quia scientia, vel habitus, vel actus sit: ac proinde qualitas potentiam, & subiectum reale supponens. Constat enim eiusmodi no- men propria significatione ad creatas cognitiones relata ita solum significare, quia absque eis imperfectionibus scientia in creatis non est; aut propriori, & perfectiori si- gnificatione ad perfectissimam diuinam relata absque eis scientiam significare: cum præcipuum, & nobilissimam, scientiam significet: cum præcipuum, & nobilissimam, longeque excellentissimam scientiam significet, quæ prin- cipale eius vocis significatum est: cum eam scientiam si- gnificet, cuius creata omnis scientia infinite per decre- mentum perfectionis imitatio, tenuissimæque potius adumbratio est.

3. Difficilius oppones, ut probes veritatem de exi- stentia diuinæ scientiæ non posse esse de fide in hunc mo- dum. Assensus fidei diuinæ essentialiter est ob testimoniis Diuini infallibilitatem, sue ob auctoritatem Dei dicen- tis; aut in Deo esse scientiam ob infallibilitatem Diuini testimonij non possumus, præsertim primo, assensui fidei diuinæ. Minor probatur: quia infallibilitas diuini testimonij, Dei- que dicentis auctoritas ex diuina scientia infallibili, & Dei veracitate (seu quod idem est) est Dei vtrique actiua, & passiva infallibilitate, qua & falli, & fallere nequit, es- sentialiter constatur: ergo non potest esse assensus ob di- uini testimonij infallibilitatem, auctoritatemque diui- nam; quin ob scientiam Dei infallibilem sit: ergo, si as- sensus sit existentie scientiæ diuinæ ob diuinam infalli- bilitatem, auctoritatemque Dei dicentis, ut esse debet, si diuinæ fidei assensus sit, assensum existentiæ scientiæ Dei ob ipsam scientiam, quod implicat, idem scilicet ob idem, tamquam motuum sui assensus credi, & iudicari. Quod autem in eo, quod primo credatur, eius primo fi- de diuinæ assensum, maior sit difficultas, constat ex di- diuina assensum, 1. d. 2. q. 5. quia motuum assensus, ut moti- uum ipsius præcognitum necessario esse debet, ut late ibi in simili de existentia Dei, quam primo per fidei actum iudicari non posse, aliorum solutionibus confutatis, satis ostendimus: quare hoc nobis certo admitteandum est, ne iterum solutiones, & impugnationes ibi datas inutiliter reperamus.

4. Magnus meus Magister Didacus Daza in hanc in- cidens difficultatem respondebat, argumentum probare, non posse nos existentiam scientiæ Dei reuelantis in se esse scientiam, ob infallibilitatem huius determinatæ scien- tiæ reuelatæ, cui assensum, primo assensum, sed alterius, quam ex fide supponimus, & prænouimus in Deo esse, scilicet, scientiæ Dei vagæ, seu vagi, & indeterminati obiecti,

obiecti, ob quam, inquit, assentimur esse in Deo scientiam huius determinati obiecti. Duo mihi, cum debita tanti Magistri obsecratione, in eius solutione non assequor. Primum fide divina à nobis credi scientiam illam, ob quam movemur ad assentiendum existentiae scientiae Dei, ut ex fide huic assentiamur. Id enim, ut citata q. 5. cert. & num. vlt. ostendit, necessarium non est. Imo tandem assensus ille existentiae scientiae Dei ex fide, nequit ultimo resolvi in assensum scientiae illius Dei, quae cumque illa sit, ob quam huic veritati reuelatur assentimur, qui ex fide, seu fidei assensus sit, ut ibidem, in simili ostendimus. Secundo displicet, quod ob scientiam Dei vagam, seu vagi, & indeterminati obiecti, huic determinati obiecto reuelato, nimirum existentiae scientiae Dei assentiamur. Etenim reuelata veritati ob scientiam infallibilem Dei de illa assentimur, non autem ob scientiam infallibilem Dei de obiecto aliquo vago: quae saluari dicitur ex infallibilitate circa aliquod unum, licet fallibilis circa alia foret.

5. Adhuc autem scribentis discipuli errorem, & equivocationem fuisse, non tanti Magistri: qui dicebat scientiam, quam fide in Deo credimus, esse indeterminati obiecti, cum vero, ob quam credimus tanquam motum esse scientiam determinatam huius determinati obiecti, nempe existentiae scientiae Dei, quae reuelatur: idque optime fieri potest, cum scientia Dei sit supra seipsam identice reflexiva, quod divinae scientiae ita esse proprium, ut create repugnet, ostendimus, d. 2. Nec refert omniscientiam esse datus locis reuelatam: ac proinde, & hanc determinatam suae scientiae scientiam reflexam. Est enim reuelata videlicet, & coniunctum, quod satis est, ut assentiamur ob illam huic particulari scientiae de scientia sua: quemadmodum ex praemissa vniuersali, in qua coniunctum omnium particularibus assentimur, deducimus assensum propositionis particularis, cum vi consequentiae conclusioni assentimur. Scientiae autem reflexae de omniscientia Dei reuelata non assentimur eodem actu fidei, sed neque fidei actu, ne processum infinitum motuum, & assensuum nostrorum deus: sed aliunde tandem quousque ad aliquam particularem scientiam, ex qua prima reuelatio fit facta, perueniamus, cuique vel naturali assensu, vel ex alio, quam fidei divinae motui assentiamur iuxta dicta citata contr. d. 2. q. 5.

QVÆSTIO II.

An divinae scientiae existentia non fide solum certa, sed ratione etiam naturaliter sit evidenter nota.

NON querimus, an divinae scientiae existentia sit per se, seu ex terminis nota. Si enim Deum esse, per se, & ex terminis notum non est, ut vidimus contr. d. 1. q. 1. quo pacto scientiae divinae existentia, quae Dei existentiam supponit, per se, & ex terminis nota erit? solum igitur est quaestio, an per discursum evidentem, seu demonstrationem nobis innoscat.

CERTAMEN I.

Existentia scientiae divinae evidens nobis demonstrativè est.

1. **E**st omnium Theologorum, imo & ex Philosophiarum Principum conclusio, quam ostendunt demonstrationes de existentia scientiae divinae subiiciendae. Et primo quidem omnium gentium, & nationum consensus, quem diximus q. 1. cert. 1. moralem de existentia divinae scientiae certitudinem, evidentiam, ac demonstrationem facit. Etenim si Romani esse certum, ac evidens moraliter est, his etiam, qui nunquam Romanos viderunt, quia

Christoph. de Ortega, De Deo Uno, Tomus I.

plures valde, licet non omnes, ita censent. Quare Dei scientiam adesse evidens, ac certum moraliter non erit. Cum ita gentes, nationesque omnes, in quibus tot sapientes floruerunt omni tempore, ita censuerint. Reor autem ex hoc hominum consensu physicam, ac metaphysicam evidentiam concludi. Omnium quippe hominum de veritate aliqua communis, perpetuus, constansque consensus, eam, ut non per se notam, ad eo tamen principis primis naturalibus vicinam, proximamque coniungunt, ac demonstrant, ut nulla fere arte, sed solo naturalis rationis ductu facile pateat: quia adeo prope ad plenum (ut sic loquar) rationis lumen posita est, ut ni per se, & ex terminorum apprehensione cunctis pateat, aut solo primorum principiorum lumine ratio egeat, ut statim illi assentiatur. Quo argumento pro existentia Dei demonstranda plures, ut vidimus contr. d. 1. q. 2. ex sapientioribus sunt vti.

2. Sed demonstratio haec, quasi reflexa est. Iam directo scientiam Deo adesse demonstramus. Et à posteriori in primis. Deinde à priori. A posteriori quidem primo. Quia Deum esse totius mundi gubernatorem, & Principem demonstratum est citata qu. 2. imo inde Deum esse ibidem demonstrabamus: atqui nequit esse mundi gubernator, & Princeps, nisi omnium, quae in mundo sunt, possintque esse, scientiam habeat, ut evidens etiam est ergo adesse Deo scientia. Secundo probatur: quia Deus totius mundi providentiam habet, ut demonstrabimus contr. 4. Providentia autem sine scientia esse non potest, ut patet. Tercio. Quia Deus est bonorum, malorumque creaturae rationalis operum remunerator, ut ex demonstratione praecipua de immortalitate rationalis animi evidens est: aut nemo potest praemio, aut poena opera, quae ignorat, compensare. Quarto: quia Deus agens liberum est creatorum omnium; ut demonstrabitur controu. de voluntate: nequit autem sine scientia faciendorum, & rationum, seu motuum, ob quae ea possit facere, vel secus, agens liberum ad ea peragenda, vel non agenda constitui: ut patet, demonstraturumque in physicis contr. de agente libero: ex qua quod satis huic demonstrationi est, delumetur contr. citata de volunt. ergo Deo adesse scientia.

3. Quinto probatur ex summa felicitate Dei, quae perfecta esse nequit in bonis, nisi cognoscatur à possidente. Et quis enim felix, nedum summe felix, sit bonis, quae inditione sua habet, dum ea ignorat? essent enim perpetuo dormientes, vel amentes bonis, quae habent, aliis fortunae felices. Sexto probatur ex summa Dei delectatione, quae sine cognitione, & scientia, boni esse nunquam potest. In Deo autem summam delectationem esse debere probatur facile: quia ea perfectum quid, ac bonum est, quodque proinde summo optimo, ac perfectissimo enti (cuiusmodi Deus est) deesse nequeat. Assumptum probatur primo: quia delectatio propria est gradus cognoscitui, qui ceteris patibus non cognoscitui perfectior est, ut patet. Secundo probatur ex Arist. 10. metaph. & 1. ethicor. c. 13. ita scribente. *Nobiliorem enim modo se habet res existens delectabiliter, quam non delectabiliter. Cuius signum est, quod bestia, & homines eam prosequuntur. Unde omnes existimant solam vitam salicem delectabilem esse: & implicat delectationem esse cum infelicitate.* Denique tot à posteriori scientiae Dei demonstrationes sunt, quor sunt de actibus voluntatis divinae, qui eam necessario supponunt, demonstrationes. Ideo eis expendendis singulatim supersedeo: cum ita generatim eas indicasse sit satis.

CERTAMEN II.

A priori existentia scientiae Dei demonstratur.

1. **P**rima divinae scientiae a priori demonstratio sit. Quia Deus est summe perfectum ens tam physicè, quam metaphysicè: ut de se patere diximus supra: ac insuper demonstravimus controu. 1. ac proinde, cui nullum praedicatum, cuius negatio melior ipsi non sit, deesse possit: atqui negatio scientiae, & cognitio melior sui negatione

X

Deo

Deo non est: ergo hæc deesse Deo non potest. Negatio autem hæc negationis scientiæ, scientia ipsa est. Secunda demonstratio huic similis sumitur ex prædicato viuientis perfectissimi, quod Deo adesse demonstrauimus ibidem. Est enim viuientis perfectissimus gradus, viuientis cognoscitui, ut patet, ac proinde Deo est necessario concedendus. Vtramque demonstrationem præit Aristoteles subtiliter, & acutè satis verbis illis recitatis ab Aureolo ex 10. met. atque à nobis q. 1. cert. 1. n. 3. paulo immutatis ex alia versione verbis, immutata vero omnino sententia sic Aureolus legit. *Si Deus non intelligit, quid vtiq; in eo insigne? se enim habebit, ut dormiens.*

2. Tertia demonstratio à priori existentia scientia Dei exhibit à Dauide fuit verbis illis recitatis q. 1. cert. 2. n. 1. ex Psal. 93. ubi recitatum impiorum contra scientiam Dei errorem repellat: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui docet hominem scientiam? quibus hæc in primis demonstratio continetur, omne agens principale adequatum de se debet continere quicquid in effectu est: atqui omnis cognoscitui creati Deus agens de se adequatum, & principale est: ergo debet in se continere prædicatum cognoscitui. Dixi de se esse agens principale adequatum ne recurratur ad iuuamen causarum secundarum generantium viuientia: nam sine eis potest Deus solus viuientia cuncta producere. Præterquam quod, cum & agentia omnia creata, cum quibus operatur, Deus producat, quicquid in ipsis etiam est, atque hæc ex parte sua viuientibus cognoscitui impertiantur, Deus eorum omnium author, & causa debet, si certa est maior, continere.*

3. Maior autem euident est: quia, ut sæpe diximus, estque natura lumine notum, nemo dat, quod non habet: causa autem omni dat effectui, quicquid in ipso producit suo modo: partialiter, si partialiter producit, & totaliter, si producit totaliter. Quare, si adequatum de se agens est, omnia, quæ in effectu sunt, debet continere. Dices cum Aureolo in causis æquiuocis (vbi Deus respectu creatorum omnium est) prædicata formalia effectus in causa principali, adequata etiam esse formaliter non debere: alioqui non æquiuoca causa, sed vniuoca foret. Id, quod patet in prædicatis pluribus effectuum creatorum, vbi accidentis, corporis, & aliis pluribus, quæ in Deo formaliter non sunt, milleque aliis causarum æquiuocarum principium exemplis apertis. Cæterum causa æquiuoca principalis, licet non debeat habere formaliter omnia prædicata sui effectus æquiuoci secundum omnem effectus formalitatem; alitè enim eminet, ac superiori, siue excellentiori, & nobiliori formalitate, & prædicato debet continere, ut faceret, euidentque est.

4. Ex hoc autem euidenter deducitur Deum, ut potè adequatam causam principalem æquiuocam cognoscitui, & intellectui effectus cuiuscunque creati, hæc prædicata cognoscitui, & intellectui à creatis imperfectionibus defecata formaliter continere. Ut enim ea eminenter contineat, ut continere admittis, debes in eo assignare prædicatum aliud cognoscitui, & intellectui nobilius, quod tamen cognoscitui formaliter non sit, adhuc seclusis cognoscitui creati imperfectionibus: at hoc est impossibile, & inassignabile: ergo debes in Deo admittere formaliter prædicatum cognoscitui, & intellectui ab imperfectionibus creatis defecati: minor probatur: quia illud aliud prædicatum nobilius non assignabit. Secundo: quia prædicatum cognoscitui, & intellectui, non cognoscitui, & non intellectui nobilius esse euidentissimum est. Si dicas non assignari, neque hæcenus esse illud dignotum; alitè tamen posse. Dicam, quod vere Christus olim Samaritanæ: *nos affirmamus, quod scimus, vos autem, quod nescitis.*

5. Dices secundo: esse prædicatum entis à se, in quo formaliter meretur physicè intellectum, aut scientia non claudunt: quodque est nobilius longe cunctis creatis. Contra tamen est: quia, si ea valet solutio, nullum aliud prædicatum, seu attributum formaliter in Deo erit: cum hoc sit primum & principale Dei prædicatum, & quod creatis emineat omnibus. Vnde demonstrationes omnes prædicatum quæ ex creatis effectibus in causa prima, atque eorum autore Deo esse formaliter ab imperfectionibus suppurata emineant, proculs corruunt. Habent au-

tem vim manifestam: quia ex eo etiam, quod ens à se, & infinitum physicè à suo genere sit, atque omnium causa, inferitur & omnia, quæ in creatis nouimus perfectionis sine imperfectione in se formaliter exhibere: indeque omnia creata posse producere: quia ea omnia formaliter, eminentiori tamen, & nobiliori modo, in se coercet: idest ab imperfectionibus defecata, ut vtiq; hæc demonstratione proxima à priori demonstratum hoc cert. est. Tertiā à priori etiam demonstrationem citatis Psalmi extremis verbis videtur Regius Pfalteris continere: qui docet hominem scientiam, qui enim nescit, docere minime potest, ut lumine natura patet. Verum an euident sit rationis solius ductu Deum homines scientiam docere, quin aliqua ex datis hæcenus demonstratio nobis tangatur, non ita euidenter constat, ut aliam omnino demonstrationem constituat.

CERTAMEN III.

Existentiā scientiæ diuinæ demonstrari de fide non esse. Vbi 25 obiectionibus fit satis.

1. Veras adeo censent Albiz, & Herize citandi q. 3. alia que Doctores diuinæ scientiæ demonstrationes, vti castales esse de fide putent. Primò, Quia demonstratio vltima à priori ex Psal. 93. ab Spiritu Sancto fuit dictata, ut vidimus. Ergo de fide est ea demonstratio. Vigetur, quia ea discursus etiam solidos, & insipientes conuincendos testatur vates: qui vix demonstrationibus tanguntur: ergo dicit discursum illum suum demonstrationem esse. Antecedens constat ex proemio discursus, qui eo loci continetur. Sic enim inchoauit argumentum contra impios illos Romanos vates. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? &c.* Secundo probatur ex 1. ad Roman. *Quod notum est Dei manifestatum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Pende illud: *manifestata, manifestauit, conspiciuntur, & ut sint inexcusabiles.* Tria enim prima euidentiam significant, quæ si eis non adfuerit, excusationi eorum de diuinorum ignorantia locus esset.

2. Cæterum demonstrationes existentia scientia Dei esse demonstrationes, nobis fide non constare verius nobis est: quia nil suadere potest efficacius oppositum, quam adducta loca, quæ id non præstant. Licet enim demonstratio illa ex psal. 93. adducta fuerit à Deo reuelata, non tamen reuelatum, dictum à Dauide est demonstrationem esse. Potest autem Deus absque sue veritatis, & veracitatis præiudicio rationes, & discursus probabiles solum nobis, & in se præsertim veros, suis Prophetis reuelare: maxime, si ad eorum, ad quos docendos diriguntur, caput sine accedendi. Imo licitum, & honestum esse litium Patrum, seu aduocatis falsa, & futilia, ut ad verum, & iustum iudices trahant, si illac pro suo capiti eos suadendos videant, satis consonum, & suo muneri debitum est. Quod ipsum dico de conuincationibus, qui id quotidie præstantur præcipue, qui peccatis nostris nullam iniuriam, seu offensam strictam contra iustitiam recognoscimus, sed solum dignum odio Dei obiectum, & mortuum: & tamen, ut peccatores ad contritionem debitam de peccatis inducamus, ita de his, ac de iniuria, atque offensa stricta contra iustitiam pie, & laudabiliter è suggestu agimus: quia fortius id, & accomodatius, ut eos suorum peniteat delictorum, indicamus. Nec firmior est Pauli locus. Ea enim omnia de sola moralis certitudine, valdeque probabili discursu sufficienter explicantur. Id, quod satis est, ut Philosophi sint in sua idolatria inexcusabiles: ea enim adeo efficac, ac verosimilibus ratio pro vero Deo, cui nulla alia pro simulacrorum cultu possit verosimiliter opponi, satis erat, ut inexcusabiles idola colentes peccarent.

3. Licet autem daremus ea verba Pauli demonstrationem physicam, & metaphysicam strictam significare, non quidem scientia Dei eam demonstrationem esse Paulus ait, sed existentia Dei viuis, maiestatis, & omnipotentia.

potentia, seu veritatis eius, ut verba ipsa perspicue sonant. Mitto leuiorem aliam aduersariorum rationem. Nempe: de fide esse demonstrari plura de Deo, quæ scientiam eius vel claudunt, vel supponunt, ut prouidentia, & alia, quæ cert. 1. attigimus: ergo de fide est scientiam Dei, sine quibus illa esse nequeunt, demonstrari. Si verum esset antecedens de his, quæ scientiam Dei euidenter claudunt, teneret consequentia; sed in primis negatur facile aliquid diuinum demonstrari esse de fide: maxime de his quæ diuinam scientiam formaliter claudunt, tamquam prædicatum, ex quo metaphysicè coalescant. Id enim de sola prouidentia censent nonnulli, nec patum iudicio aliorum, qui aliter opinantur, imo & suo, præstantur, si probabiliter suadeant. Quod autem ex demonstrationibus aliorum diuinorum, quæ fide monstrari de fide sit, scientiamque diuinam euidenter supponant, euidenter scientia Dei demonstratur, satis non est, ut hæc demonstratio talis esse de fide, credatur. Solum enim immediate reuelata de fide esse posse communiter, ac verofamiliori opinio fert.

4. Oppones contra existentiam scientiæ Dei à ratione. Cognito ita formaliter, & metaphysicè in physica, & vera emanatione, vel illam essentialiter supponit: est siquidem veritas realis obiecti magis vero realis essentialiter dicit emanationem veram, ac non fictam ab artifice, seu imaginante, ut diximus controu. de Trinit. d. de propriis, & appropriatis personar. q. 2. atqui nullus prædicatus diuini communis potest dari vera, ac non ficta emanatio, non solum causalitatis, sed neque originis, ut certum, & dogmaticum est: ergo nullum prædicatum diuinum potest esse cognitio, seu scientia formaliter, sed eminenter, ut summum. Respondetur negando maiorem, scilicet, cognitionem, & scientiam vniuersim, prout etiam increatam continet, vel esse, vel essentialiter supponere veram, & realem physicam emanationem. Ad probationem distinctionis maiorem: vera imago realis intentionalis concedo maiorem; realis physica, prout distinguitur contra intentionalem, nego maiorem. Minor de reali physica imagine, ut reali intentionali distinguitur, est vera; prout hanc etiam coeret, est falsa: neque aliud ex citato loco de Trinitate, vbi alio nostro colligi potest. In ratione enim formalis expressionis, & representationis intentionalis obiecti sufficienter, & adæquate ratio cognitionis saluatur: licet in creatis etiam procedere actiue à cognoscentis potentia inueniatur. Quia ab alio eis esse non repugnat, si cui prædicato diuino communi repugnat.

5. Rursus maiorem illam primam proximam obiectionis probabis: quia intellectio essentialis sua est actio, seu actus vitalis: de ratione autem actionis, seu actus vitalis essentialis esse, ut illo se moueat viuens, quod nequit esse: nisi actus, seu actio à viuente procedat: ergo de ratione cognitionis est à viuente procedere. Distingue minorem de ratione actus vitalis physici, & realis concedo minorem, actus vitalis, licet veri, intentionalis solum (cuiusmodi Dei cognitio est) nego iuxta doctrinam communem à nobis datam de vita duplici, physica, scilicet, & intentionali controu. de anima. Vtraque vero vitæ ratio in cognitione creata inuenitur: ac proinde, & in ea inuenitur à viuente, cuius cognitio est, vera, & realis processio: scio nonnulla loca illa sacre Scripturæ, quibus scientia Dei asseritur de scientia Dei non formalis, sed eminentialiter explicare. Veritas ea solutio nequit sustinere obrationes datas cert. 2. n. 5.

6. Secundo malam esse interpretationem iuxta statam regulam interpretandi sacras Scripturas traditam à peruenulo Tycho, atque ab Augustino, & reliquis Patribus, & scholasticis approbatam: nimirum scripturæ loca, & verba in sua rigorosa, & formalis significatione, & propriissimo sensu esse accipienda, ni aliquid inde absurdi contra expressa alia scripturæ testimonia, dogmata Theologorum inferatur: alioqui nullum esset contra hæreticos firmum scripturæ testimonium, quod distorta eius, & impropria explicatione eludi non posset: ex scientia autem formaliter in Deo asserita, ut proprie scripturæ verba significant, nil absurdi contra scripturam, & bonam Theologiam asseritur: sed necessarium aliquid ad plura scripturæ loca, & dogmata fidei, ac bonæ Theologiæ tuenda. Denique in scriptura duo in re præsentia sepe habentur, ut videmus locis datis. Primum Deum esse causam omnis creationis, & scientiæ creatæ: in quo scientia eminentialis, Christoph. de Orreaga, de Deo Vno, Tomus I.

seu eminentet in Deo asseritur. Licet autem ex hac eminentiali scientia Dei formalis non inferretur, ut euidenter inferri ostendimus, nobilior scientia creatæ; aliis pluribus locis scientia Dei asseritur, ut non solum eminentet, quod primis locis continebatur, sed formalissime scientiam Deo adesse crederemus.



QVÆSTIO III.

An ex prædicato substantiæ spiritualis, seu immaterialis diuino, scientia Dei existentia demonstretur.



ANC etiam (ut & similes alias de qualitate probationum, quibus conclusiones Theologicæ probantur reflexas quæstiones) aliorum potius exemplo, quam iudicio proprio omnino inuiti institutus, ut non semel monuimus. Ut autem inutilibus, futilibusque pro alterutra parte impugnationibus, solutionibus, & instantiis replicatis semel occurratur, titulus præfixus non de spiritualis prædicato, prout idem, atque immaterialis prædicatum est, solamque negationem corpori importat, aut de spirituali vniuersim, adhuc positum sumpto, prout accidentia spiritualia coeret, diciturque vel impeneitabilitatem, vel independentiam entis positiui à materia. (Hæc enim siue prædicato cognoscitiui saluantur) sed prout substantiæ prædicatum contrahit, atque substantiæ spiritualis genus, siue speciem metaphysicè constituit: eo quippe sensu tradita à præcis Doctores scientia Dei demonstratio hæc fuit.

CERTAMEN I.

Demonstratio instruitur atque de eius qualitate sententia.

1. SANC Thom. in 1. d. 35. q. 1. a. 1. & 1. contra g. c. 44. q. 2. de verit. a. 2. & opulc. 3. c. 28. & 35. & 1. p. q. 14. a. 1. præsentem demonstrationem in hunc fere modum proponit. Quo substantiæ magis spirituales, atque à materia abstractæ sunt, eo maiori vi cognoscitiua pollent, & cognitione: atqui Deus substantia summe spiritualis, atque à materia abstracta est: ergo & summa vi cognoscitiua, & cognitione, seu scientia pollebit. Minor, & consequentia euidenter sunt. Maiorem ostendit: quia viuentia cognoscitiua, adhuc materialia, magis, quam non cognoscitiua à materia abstrahunt: sunt enim receptiua formarum sine materia, id est obiectorum quoad esse intentionale, quod spirituale quodammodo est, si cum physica eorum entitate comparatur. Vis item cognoscitiua potentia visiva, quia nobilior, perspicaciorque est, magis à materiæ conditionibus abstrahit in operando. V. g. grauitate alteratione physica, propinquitate, & similibus. Absolute item intellectuum omne abstrahere à materia debere probatur ex eodem S. Th. quia in cognitione fit communicatio obiecti ad cognoscentem, quod illud in se suscipit, tamquam pertinens ad propriam sui perfectionem: quod nequit fieri per communicationem obiecti, secundum esse reale, in quo nequit alteri à se communicari, nec communicare: sed per formam aliquam, ab ipso obiecto distinctam, atque ab his separatam, quæ cuiusmodi communicationem impediunt: id quod, nisi à conditionibus materialibus abstrahat cognoscentem, suo quodque perfectionis gradu, fieri minime potest. Si quidem materiale ad formam propriam coarctatur.

2. Idcirco Caietanus, Zamel, Bañez, Machin. Nazaf. Ripa, Ferrara, Capr. Carmelitani Salmant. Ioan. à S. Th. d. 16. art. 1. Corneo d. 1. dub. 2. Auerfa sect. 1. discursum demonstrationem reputant: quibus accessere Soares d. 30. mct. sect. 14. & d. 35. sect. 3. num. 18. Hetize 1. p. d. 1. c. 3. Ruiz d. 1. de scientia sect. 3. Noster Deza manuscripto de scientia q. 14. art. 1. Fasol. ibi dub. 2. Franc. Amico

d. 12. num. 1. Martinon. d. 9. Franc. Lugo lib. 1. d. 27. c. 1. Ribas tract. 4. d. 1. c. 1. Gaspar Ribadeneira d. 1. c. 2. à §. 2. Pasqualigus tract. 1. de Deo, d. 19. falso referens Molinam, qui solum satis probabilem discursum reputat: cum eo etiam nouissime censet Quiros noster de Deo tract. 4. d. 34. sect. 3. licet non omnino S. Thom. discursum probent, sed paulo aliter cum ex spiritualitate substantie deducant, Soariz maiorem illam ita vniuersaliter probat: quia substantia spiritualis perfectior non spirituali substantia est: aut quo perfectior substantia est, perfectior operationis principium est, quam non spiritualis: sed nequit esse principium perfectioris operationis, nisi sit intellectus principium. Quiros sic discursum efformat. Quia substantia spiritualis titulo excelsus excludit materialem, supraque illam est, ut patet: ergo debet habere perfectionem cognoscitiui, quod in substantiis materialibus reperitur, eminenti, & nobiliori modo, scilicet, intellectu, & spirituali. Etenim quod cognoscitiuum non est, nequit equare, nedum superare in perfectione cognoscitiuum. Probat secundo, quia spiritualis substantia est genere suo, & ordine perfectior est materiali ceteris paribus: ideoque Deus in ordine spiritualium, ac non materialium substantiarum collocatur. Sed, nisi sit cognoscitiua, non est cur perfectior ex genere, & ordine suo sit. Nam materia exclusio potest per defectum, ac non per excessum perfectionis esse, ac proinde non est cur rem in gradu perfectiori constituat, aliquidque excellentie præ materiali in illa ponat. Confirmat: quia spirituale ex eo, quod intellectuum sit præcise fundat in naturalibus genus perfectius materiali: nam reliqua prædicata, vel possunt inueniri in materiali, vel materialem non excedunt: nec apparet quid materialitas præter perfectam cognitionem, seu intellectum impediat: ergo quod est genere suo perfectius materiali est, debet esse intellectum.

3. Verum omnes isti discursus non ita plane, & placide currunt, ut in aliquot salebras apud alios non incurrant. Primus ex S. Th. ut à nominatis Thomistis intelligitur, atque efformatur, ut vidimus in secunda probatione maioris. Etenim, vel loquitur de coarctatione rei materialis ad formam propriam, ac non alienam secundum esse physicum eius recipiendam, vel ad non recipiendam intentionaliter: si primum: id etiam spirituales substantie habent, omnes quidem quantumvis perfectæ: si secundum: cum receptio intentionalis sit, vel ipsamet obiecti, vel specierum intentionaliu receptio, in primis peretur principium, atque idem per idem probatur: scilicet, esse intellectum substantiam spiritualement, quia est receptina alienarum formarum sine materia, seu intentionaliter, quod ipsum est intellectum esse, non autem substantiam immaterialem, quod erat probandum. Secundo. Cum bruta, nosque per materiales sensus sensibilibus species, seu formas recipimus, atque eorum materiales cognitiones efformemus, quin ea obiecta, eorumque formas physicè recipimus, sed solum cognoscitiue, & intentionaliter: nescio cur intentionaliter etiam alienarum formarum receptiue materiales substantie dicende absolute sint. Maxime iuxta opinionem nostri Valentia, Arriaga, & Ripalda, quos refert, & sequitur noster etiam Quiros tract. 3. de vi. d. 1. sect. 5. & hic sect. 1. de possibilitate potentie materialis. Idcirco discursui huic, ut à S. Th. efformato ex tanti Doctoris autoritate potius, quam ex principis (quæ non satis nobis eius veteres discipuli, & interpretes, ut pleraque aliæ, explicare, nosque præ nostri ingenij imbecillitate non assequimur) consensimus.

CERTAMEN II.

Reliquorum discursuum examen, & questionis resolutio.

1. Nec firmior videtur aliquibus Soariz nostri discursus est perfectiori operatione necessaria ad perfectius substantie genus, quale est spiritualis substantie, con-

stituendum. Etenim aune empyreum calum perfectiori substantie est, quam sint reliqui inferiores, & tamen perfectiorum operationum principium non est: cum iuxta probabilem opinionem nullam operationem habeat, neque in inferiora, & sublimaria corpora influxum, quem dubio procul habent inferiores: secunda item qualitates, ut albedo, ceterique colores primis qualitatibus perfectiores sunt, frigore, v.g. & siccitate: & tamen ab eis causantur, quin alias causent qualitates. Ceterum, licet empyreum in sublimaria non influxat, suas tamen nobilissimas passiones producat, nobiliori quidam, quam sit inferiorum influxus, operatione: quare, ut pauciores, quam inferiores orbes, operationes habeat: aut nobiliores habebit, quod Soariz argumento satis erit. Secunda item obiectio nil coniecit. Non enim sicuti substantia, ita & accidentium perfectio, est perfectiori operatione taxanda necessario est: cum hæc genere suo non ad operationem, sed ad ornamentum substantie sint data: quare, licet nihil operentur, dum tamen magis, nobilisque eam ornent, in genere suo æstimabuntur perfectiora: ut in pluribus Beatorum corporum dotibus licet videre. Secundo colores perfectiorum operationum vitalium, nimirum visionum, vel per se, vel per sui vicarias species principia sunt, licet alias qualitates mortuas non efficiant.

2. Facilius quidem, & melius illud Soariz principium ad rem præsentem impugnetur. Etenim, licet deus operationem intellectualem nobilissimam est possibilibus esse, de quo statim: aut posse esse substantiam spiritualement, longe materiali nobiliorem, quæ intellectualem operationem non sit, videtur certum. Deus quippe (esto intellectus sit) aut non est vere physicum, ac sine nostre figmento intellectus principium: ergo in primis in Deo verum non est substantie eius perfectionem stare in eo, quod sit eius operationis intellectus physicum principium. Secundo inferitur inde posse dari substantiam creatam spiritualement, quæ eiusmodi intellectus principium non sit, cum infinite excellens substantia spiritualis diuina detur, quæ non sit eius operationis physicum principium: insuper non videtur aliunde implicare creatura substantialem spiritualement, quæ intellectualem non sit: cum spiritualitatis etiam substantialis prædicatum omnino absque intellectu metaphysice saluetur, ut patet: in ea vero, vel illud principium de perfectiori operatione necessaria perfectiori substantie deferendum est, vel admitendum posse esse perfectiorem intellectus operationem: quare alterum ex principis, quibus Soariz discursus imititur, ac proinde totus discursus eueritur.

3. Et Herize quidem citato loco admittit planè metaphysicè, ac de potentia absoluta Dei loquendo, possibilem eiusmodi substantiam spiritualement, quæ intellectualem non sit: verum demonstrari aut ex spiritualibus substantiis prædicato prædicatum intellectui in his spiritualibus substantiis, quas de facto habemus. Sed ego, ea possibilitate admissa, nescio, quo pacto, in his adhuc, quas de facto habemus, eiusmodi demonstrationi locus maneat. Neque enim potest esse demonstratio à priori, vel à posteriori, vel à pari. Non à priori: quia ea substantia spirituali possibilis admissa, substantia spiritualis prædicatum non inferre necessario intellectum, sine quo esse absolute potest: non à posteriori: tum quia substantie spiritualis prædicatum, nec est effectus potentie intellectus, nec necessario cum illa ad conuertentiam dicitur. Non à pari: nam à pari nihil adhuc probabiliter (nedum demonstrative) probatur, nisi ratio eadem à priori vel à posteriori vtrobius ostendatur, quæ hic non apparet, ut vidimus. Nec refert in prædicato substantie spiritualis, quæ de facto est, esse ad intellectum necessariam consequentiam. Iam enim non ex prædicato substantie spiritualis, sed alio quod in his speciale sit, inferetur: nec video quodnam aliud prædicatum in his sit, præter prædicatum intellectus, quod illud vniuersalius substantie spiritualis contrahat ad harum, quæ sunt de facto speciem: quodque proinde non magis quam rationale ex animali, ex prædicato suo generico spiritualis substantie inferri queat.

4. Nihil vero firmiores sunt nostri Quiros discursus: imo multa in eis non satis coherent. Probatione enim prima assumit, prædicatum substantie, spiritualis titulo, excessum supra materialem. In secunda probatione ait talem esse è genere, & ordine suo ceteris paribus: ergo

ergo ceteris non paribus potest non esse in perfectione supra materialem: inde omnia nunc. Secundo vel prædicatum substantiæ spiritualis de se habet titulum excessus supra materialem, vel non, sed ex prædicato alio. Si primum sit erit prædicatum illud ad inferendam intellectum contra te, si id habet ex alio prædicato, ex illo quidem non est prædicato substantiæ spiritualis intellectum inferetur. Quod si (ut ipse postea assumit) nihil aliud esse potest hoc prædicatum, per quod ceteris materialibus superet substantia spiritualis per excessum, nisi prædicatum intellectui ex intellectu intellectum (idem enim per idem) male probabit, ut ipse in Thomistis reprehendit. Ad hæc, ut spiritualis substantia ceteris, ut hic ait, paribus, sit talis per excessum respectu materialium, sit est conceptus solus substantiæ spiritualis, ex quo habet impenetrabilitatem, & immaterialitatem. Deinde S. Thom. cuius rationem Quirós tuetur, non fuit spiritualitatem, seu immaterialitatem per excessum, imo nec pro stricta spiritualitate, sed pro immaterialitate, quæ in omnibus cognoscitiis etiam brutis materialibus reperitur.

5. Ex his sane constat, quam infirme ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis, substantialis etiam, prædicatum intellectui, seu scientiæ vniuersim, atque è summa spiritualitate prædicatum summe intellectui, seu scientiæ in Deo probetur: multaque in D. Thom. reuerenti, & fide opus fuisse subtilissimo nostro Molina, ut satis probabilem discursum diceret, & crederet, sicuti, & Valentia 1. part. d. 1. qu. 1. & Quirós supra: idque certum nunc est: cum discursum, ut ab aliis S. Th. intelligitur, necque effugis, ac difficultatibus patet, longè à demonstratione esse. Quin Okam, Gabriel, Bassolis, Gregorius de Arimino in 1. d. 35. & quod pluris est, doctrinæ D. Thom. additiui nostri Puente Hurtado manuscripto de scientia, & Arriaga 1. part. d. 15. sect. 1. sub sect. 1. omnino eum enitum, & inefficacem iudicant. Et sane, isti eo modo, quo maiorem illam S. Thom. primo probabamus, eius doctrinam intelligitur, non assequor eius discursus probabilitatem. Scio Gasparem de Ribadeneyra, citato loco satis acutè interpretari S. Th. ut immaterialitatem, atque à materialitate abstractionem pro perfectione rerum, seu materialium, seu spiritualium vsurperet: atque inde pro maiori cognoscitui immaterialitate perfectionem vim cognoscitiuam, & cognitionem, & pro summa in Deo summam rectè colligi à S. Thom. putat: atque eandem esse hanc demonstrationem cum illa, quæ à summa Dei perfectione summa Dei scientia demonstratur.

6. Sed neque huic discursui acquiesco. Primo: quia est immaterialitatis pro perfectione, & immaterialis pro perfectio vsurpatio, valde æquiuoca voce, & quæ diffculter rem nobis significet, de se apparet: cum directè, & propriè immateriale independentes à materia, seu quid simile significet: perfectum autem nonnisi analogicè, & improprie per quandam nimirum analogiam satis obscuram, & diffcultem, ut videre in hoc autore est, s. 2. effectum autem vitium non leue, S. Th. si ad demonstrationem terminis in sensu improprio, & analogico vteretur, non autem in sensu proprio: maxime, cum terminus proprius ad perfectum, seu imperfectum significandum, si id significare vellet, ipsi suppeteret. Secundo: Constantè S. Thom. ex rerum immaterialitate, & earum à materia abstractione earum probat perfectionem: si autem idem immaterialitas, atque perfectio in eius phrasi significet: idem per idem vitiose probabit. Tertiò demum, ut ij Recentiores auctores citato s. 2. n. 28. illud, quod ait in hoc discursu S. Thom. nempe: secundum modum immaterialitatis, seu perfectionis, verum esse modum, seu mensuram cognitionis, non ita intelligendum est vniuersim, ut quicquid aliqualem habet perfectionem, aliqualem etiam habeat cognitionem: est siquidem aperte falsum: cum nihil sit, quod aliqualem non habeat perfectionem, & plura cognitionem, ac vim cognoscitiuam non habeant: sed ita, ut in his, quæ cognoscitiua sint, maior, vel minor perfectio, seu immaterialitas mensura sit maioris, vel minoris virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis. Ex hoc autem inferitur manifestè ex immaterialitate, seu perfectione etiam maiori, & maiori, imò & summa prædicta non colligi maiorem, vel summam, imò neque vll-

lam vim cognoscitiuam, seu cognitionem: siquidem vis cognoscitiua aliunde supponenda est, ut ex perfectione rei, virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis magnitudo taxetur: nec satis ut perfectio rei per te ad eas inferendas. Tædet in quæstione inutili plura proferre.



DISPUTATIO II.

De his, quæ diuinam scientiam verè præcedunt.

Nihil Dei physicè naturæ, seu originis prioritate tanquam effectum productum verè, & physicè absque rationis figmento eius scientiam in Deo præcedere, tam certum est, quam nihil commune in Deo diuinum, siue ab aliis Deo intrinsecè physicè distinctum esse: eiusdem quippe ad seipsum realiter realis, physicus ordo, prioritate, & posterioritas vera esse minime potest: ut ex terminis patet. Ideo de præcedentia vera, etsi non physica, potentia intellectus diuinæ respectu diuinæ intellectus tanquam termini, & quasi effectus solummodo intentionalis quæritur: an ea omnia, vel aliqua saltem, quæ creatæ scientiæ in nobis præcedunt, in creatam etiam antecendant cognitionem? Ea vero sunt potentia, habitus, species, seu obiectum. Ut autem, metaphysicus adhuc ordo prioritatis, & posterioritatis, physici ordinis ad instar, & imitatus, poni à nobis in re eadem rationabiliter possit, requiritur, ut rei eiusdem prædicata metaphysicè diuersa sint. Sicut enim, nonnisi irrationabiliter, & implicatoriè eiusdem realiter ad seipsum ordo prioris, & posterioris realis, & physicus admitti potest: ita eiusdem ad seipsum metaphysicè metaphysicè prioritatis, & posterioritatis ordo, nonnisi stolidè potest admitti: utriusque vero ratio est: quod in nulla linea, seu statu rerum idem ad seipsum ordinari concipiunt prius adhuc, sine implicatione potest. Scaturit vero metaphysica prædicatorum rei eiusdem constantia, & diuersitate metaphysica locus quæstioni est: an eorum alteri alterum metaphysicè præcedat? sic statuta constantia, & metaphysica diuersitate prædicatorum entis, siue substantiæ à se, cognitionis, volitionis, immensitatis in Deo locus quæstioni est: quodnam eorum alij, vel aliis metaphysicè præceat? ac proinde essentia metaphysicè loco habendum, ponendumque sit: ita, ut cetera ipsum tanquam passionem metaphysicè, & eius attributa metaphysicè sequantur. Primo igitur examinandum hic erit, detur in Deo potentia intellectus prædicatum à prædicato intellectus, huiusque intrinseca possibilitate formaliter metaphysicè diuersum? Secundo an detur in Deo vera & formalis ratio obiecti? Tertiò an in ipso vera habitus intellectus ratio inueniatur? Quarto an vera ei ratio addit speciei intelligibilis? Hæc enim omnino sunt, quæ nostram scientiam antecedunt, ex quibus tandem quintò eorum, quæ in hac scientia, & intellectus lineæ in Deo esse comperiantur præcedentia, vel subsequentiò facile definiuntur.



QVÆSTIO I.

Detur in Deo verum potentia intellectus, prædicatum ab intrinseca scientiæ, siue intellectus diuinæ possibilitate formaliter, & metaphysicè diuersum?

INTRINSECAM rerum, seu prædicatorum possibilitatem voco non repugnantiam, seu repugnantiam in sui existentia exclusionem, quæ in